Qui scribunt artesque bibunt, ratione vigentes.
Propterea te laude mea commendo probatum;
Ulterius sis egregius vir de grege vatum!

[III.] Exhortatio[a] ad[b] bonam vitam per mores Malchi.

Hic Malchi mores describis, ut omnis homo RES,
Quas vivens gessit, gerat, ut sibi summa quies SIT.
Qui purus totus, redolens ut in igne sacro THUS[c]
Malchę formosę[1] coniunxit amore pio SE;
Res defectivas contempsit uterque Dei VAS;
Interiusque[d] meros implevit iustitię[e] ROS;
Taliter accensos muniverat Omnipotens HOS,
Ne castos quęvis macularet luxurię VIS.
Solius est Eius tam dulcis amicicię[f] IUS,
Cuius magnus honos coniunxit amore Suo NOS.
Quare devote moneo, precor, omnis homo, TE,
Ut fidei navi vectus, Christique bona VI,
Linquas ima; tene callem patrię[g] superę! NE,
Dum male quęris[h] opes, tuus insiliat[i] baratro PES.
Quid nitidę[k] vestes, quid splendida gemma, quid est AES[1]?
Nil animę[m] prosunt, quasi stercora cuique bono SUNT.
Dives es et sospes, tua si manet in Domino SPES;
At si diffidas, fato te precipiti DAS.
Terrea contempnas, bone[n] serve, lucrare[o] decem MNAS[2],
Quas Domino prestes, ut in ipsius requie[p] STES!

[IV.] Oratio Lamberti[q] ad Malchum[r] pro Raginaldo[s] facta.

Malche, benigne pater, bone proxime, vel bone frater,
Sancta movens ora, pro Raginaldo[s], precor, ora!
Posce Patrem cęli[t] tibi pro scriptore fideli,
Ut mereatur ibi cum sanctorum grege scribi,
Nomina mansura quo[u] non terit ulla litura.
Est, fateor, dignus; at servitii sibi pignus
Persolvas plane, ne servierit tibi vane[v]!
Multa laboravit[w], loca saxea bobus aravit —,

a) 'Exort.' C. L. b) 'a' C. c) 'tus' C. L. d) 'Interius' L. e) 'iusticię' C. L. f) 'amiticiæ' T. g) 'patrięque supernę' T. h) 'queris' C. L. i) 'insileat' C. T. k) 'nitide' C. l) 'haes' L; 'ęs' T. m) 'anime' C. n) 'ó' übergeschr. T. o) 'lacr.' C. p) 'requię' L. q) 'L.' L. r) 'M.' L; 'Malcum' C; 'Mum' T. s) 'Reg.' C. t) 'celi' C. u) 'wo'. v) Verb. aus 'inane' C. w) 'roboravit' C.

1) Malchus heirathet nach der Legende Malcha, bekehrt sie aber zur Keuschheit. 2) Cf. Luc. 19, 16.